

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6568

**Autre(s) référence(s) :** Bates 255

**Auteur(s) :** Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Évroult-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** diplôme

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1081

**Lieu d'émission :** Winchester

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, confirme les donations faites en Angleterre à l'abbaye Saint-Évroult.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Le Prévost Auguste, *Orderici Vitalis angligenae, coenobii uticensis monachi, historiae ecclesiasticae libri tredecim*, Paris, J. Renouard et Socios (Société de l'histoire de France), 1838-1855, 5 vol., t. 3, p. 19-29.
- b. Chibnall Marjorie, *The Ecclesiastical History of Orderic Vitalis*, Oxford, Clarendon Press (Oxford Medieval Texts), 1972, t. 3, p. 232-240.
- c. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, the Acta of William I (1066-1087)*, Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 255, p. 770-773.

### Indications

Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 140.

## Dissertation critique

1081, avant le juillet, probablement le mai 1081 : datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 771-772).

Texte établi d'après c

Guillelmus Dei gratia rex Anglorum et dux Normannorum atque princeps Cenomannorum, omnibus fidei katholicæ fautoribus, pacemque in æcclesia servantibus, summum et inexplicabile gaudii munus. Quoniam brevis est mortalis vita, et de generatione in generationem transeunt omnia, volumus litterarum testimonio temporis nostri decreta confirmare, ut que nos recte facimus e nostro iure et ex data a Deo potestate, nemo successorum nostrorum audeat violare, ne scilicet ei contradicat, qui omnia regna suo arbitrio dispensat. Ego itaque Guillelmus Dei gratia rex in regno michi divinitus commisso, elemosinam que michi perenniter prosit cenobio beati Ebrulfi tradere dispono, et ea quæ fideles nostri pro communi omnium salute de possessionibus quas eis dedi legitime Deo dant concedo, presentique cirographo confirmationem nostram presentibus et futuris omnibus Dei fidelibus notifico.

In primis igitur Uticensi monasterio, quod beatus Christi confessor Ebrulfus construxit in heremo, de dominio meo pro amore Dei dono in Gloucestrescira villam que Rawella, id est Capreæ Fons, dicitur, et in Nicholescira quandam æcclesiam et quicquid ad eam pertinet in villa quæ Nethleham uocatur. Preterea optimates nostri de rebus suis sancto Ebrulfo hæc largiti sunt, atque ut in karta regiæ auctoritatis contra omnium infestationes inserantur poposcerunt. Rogerius comes Scrobesburiae dedit omnem quod habebat in Melleburna in Grantesbrugæsira, Othnam quoque et Merestonam in Estafordæsira, et unam hidam terre in Graphan, et terram Vulfuini aurifabri in Cicestra, decimamque caseorum et lanarum de Pultona, et decimam de Senegai in Grantesbrugescira. Mabilia uero filia eiusdem comitis de redditibus suis in Anglia lx solidos sterilensium pro decimis suis dedit sancto Ebrulfo per singulos annos ad luminaria æcclesiæ. Guarinus vicecomes de Scrobesburia dedit sancto Ebrulfo Neutonam et æcclesiam de Halis cum decima, decimamque de Guestona in Estafordescira, et hæc dominus eius Rogerius comes concessit.

Porro Hugo de Grentemaisnil qui cum Rodberto fratre suo et avunculis suis Guillelmo et Rodberto filiis Geroii Uticense restaurarat cenobium, hæc eidem dedit in Anglia in perpetuam hereditatem. Totam terram quam habuit in parva Pilardentona in Guareuichescira, omniumque duas partes decimarum totius terræ suæ dedit et xvi rusticos ad ipsas decimas custodiendas, atque novem ecclesias. Dedit enim tres villanos Sceltone, tres Guaris, duos Belegrave, unum Stotone, unum Langheton, unum Tormodestone, unum Cherchebie, unum Mersitone, unum Ostesilue, unum Cherlentone, et alium in alia Cherlentona. Dedit etiam æcclesiam de Guaris et totam decimam que ad illam pertinebat terramque duarum carrucarum, ecclesiam de Turchillestona decimamque ad illam pertinentem et duas virgatas terræ, æcclesiam de Clenefeld cum decima tota et duabus virgatis terræ, æcclesiam de Charlentona cum decima et quinque virgatis terræ, ecclesiam de Noueslai cum decima et duabus virgatis terræ, æcclesiam de Merthebraua que nunc alio nomine Belegrava dicitur cum tota decima et xi virgatis terræ, et Guillecotam et quicquid Hugo clericus de Sappo in Anglia de ipso tenebat, æcclesiam de Mersitona cum tota decima et terra ad æcclesiam pertinente, æcclesiam quoque de Pilardentona cum decima et rebus ad æcclesiam pertinentibus, et æcclesiam de alia Charlentona cum decima et tribus virgatis terræ, æcclesiam vero de Coteford cum decima et una hida terræ, æcclesiamque de Pellingis cum toto quod Leofricus ibidem de ipso tenebat. Hæc sunt quæ Hugo de Grentemaisnil sancto Ebrulfo me concedente dedit in Anglia.

Radulfus quoque de Conchis eidem sancto dedit duos manerios Alwintonam in Guighercestrescira et Caldecotam in Nortfuch, et Hugo filius Constantii dedit æcclesiam de Guafra et unam hidam terræ. Hugo autem Cestrensis comes filium suum nomine Rodbertum in Uticensi monasterio ad monachatum Deo optulit, et eidem æcclesiæ dedit unam hidam terræ in parva Pilardentona, et decimam ac unum rusticum in villa que dicitur Brichella, decimamque de Sanleia in Buccingehamscira. Rodbertus uero de Rodelento, prefato Hugone Cestrensi comite domino suo concedente, dedit sancto Ebrulfo Cherchebiam cum duabus æcclesiis, una scilicet quæ in ipsa villa est, et alia prope illum manerium in insula maris, et æcclesiam sancti Petri apostoli et quicquid ad eam pertinebat in Cestrensi urbe, et in Merestona que est in Northamtonescira æcclesiam sancti Laurentii et quicquid ad eam pertinet, et in eadem provincia æcclesiam de Biuella cum duabus terre carrucatis. Alii quoque homines Hugonis comitis Uticensi æcclesiæ decimas suas dederunt in Nicholescira Rozscelinus de Estentona, Osbernus Tezsonis filius de Neubela, Baldricus de Farefort decimam cum uno rustico, Rogerius de Millai, et Brisard et Rodbertus Pultrel in Legrecestrescira. Omnes hi sancto Ebrulfo decimas suas dederunt, et predictus comes granter concessit. Hæc itaque quæ de nostro dominio sæpememorate æcclesiæ dedi, et omnia que sicut a baronibus nostris eidem data sunt concessi, anno ab incarnatione Domini millesimo octogesimo primo, indictione iiii presenti cirographo in urbe Guenta corroboro, et proceribus meis qui elemosinas suas dederunt uel astipulatores earum sunt hoc testamentum signo sanctæ Crucis dedicandum trado, ut in eternum regali auctoritate rata sit hæc donatio, et sacrilegos sacrarum violatores rerum irremediabilis nisi a reatu resipuerint feriat maledictio.

In hac nimirum carta Guillelmus magnus rex Anglorum primus signum sanctæ Crucis edidit, et subsequentes magnati subscripserunt, quorum hic nomina subscripta sunt, Rodbertus et Guillelmus filii regis, maximeque consules Rogerius de Scrobesburia et Hugo de Cestra, Rodulfus de Conchis et Guillelmus de Britolio, Hugo de Grentemaisnil et nepos eius Rodbertus de Rodelento, Rodbertus filius Murdaci et Gulferius de Vilereio, Guillelmus de Molinis et Richerius de Aquila, Eudo dapifer et Guarinus vicecomes de Scrobesburia.

Variants. a, C's text reads : Quoniam brevis est mortalium hominum vita, et de generatione in generationem transeunt omnia, litterarum testimonio temporis nostri decreta confirmare volumus, ut que nos recte facimus, et a Deo nobis data potestate firmiter disposuimus, nemo successorum meorum violare audeat nullis temporibus quod siquis ista temerare atque violare aliquando presumpse ut anathema sit. Itaque ego W(illelmus) divina dispensatione rex Anglorum omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris faciam notum quod ego pro mea meorumque

parentum salute ad opus fratrum qui in ecclesia beate et gloriosi Christi confessoris atque abbatis Ebrulfi Deo famulante concedo de dominio meo in Glocestresyra villam que vocatur Rawella, etc. usque illum locum. Annuo preterea et presenti cirografo confirmo quicquid Hugo de Grantemaysnil dedit sancto Ebrulfo de possessione sua quam sibi dedi in Anglica terra, hac est totam terram quam habebat in parva Pilardingtona et duas partes decimarum de tota terra sua, et duodecim rusticos, et viii ecclesias, et quicquid Hugo de Sapo tenebat, etc.  
Signum regis Willelmi. Signum Rogeri comitis. Signum Hugonis comitis.

+ + +

Signum Eudonis dapiferi. Signum Roberti filii Murdaci.

+ +